

sic divinæ laudis officiis , ritibus , ac Cæremoniis debent esse intenti , ut cœlestes veluti milites , instructas Cæli acies imitentur , & Angelorum choros , in quibus Dei Verbum sequentibus , nil confusum apparet , vel inconcinnum . Quod quidem si à nobis detrectetur , verendum profectò , ne à prescriptis sacrorum rituum documentis resilientes , à cœlesti tandem , ac pura , qua beari expectamus , divinarum mentium harmonia , ut sublimiori Angelo contigit , prolabeimur . Lucifer namque cum , ubi , decies centena millia , Deum laudantes , assistunt , non stare , ut cæteri , sed impudentissimè sedere , sociamque Dei laudationem Cæremoniарum neglectu despiceret præsumpsisset , audire meruit . *Quomodo cecidisti de Cælo Lucifer ? Veruntamen in infernum detraheris in profundum laci .* Hanc avertere à militibus suis irreparabilem jacturam sanguentes Ecclesiæ Duces , leges ac regulas quamplures pro divinis officiis ritè , ac Cœmeritaliter persolvendis sanxerunt , inter quos B. P. noster Franciscus , qui librum undequamque , tum quò ad Missam , tum quò ad horas Canonicas , tum etiam quò ad cætera ad divinum cultum spectantia perfectum composuit , & ultrò in Regula præcepit , nos ritibus Romanæ Ecclesiæ conformari , ac reverenter , & cœmeritaliter divinum persolvere officium . Ut igitur in nostra Religione una rituum Ecclesiasticorum observatio nos unitos reddat , ac uniformes , veros Cœlestis curiæ imitatores , & Divino Legislatori , ac Parenti obsequentissimos filios , nec non meriti non exigui compotes efficiat : devotissimo Thoma a Kempis in exercit . Spirit . cap . 5 . num . 3 . dicente . *Nam cuncta , idest inclinationes , prostrations , & alias bonas consuetudines , si debitè agamus , ad meritum non exiguum computantur :* Cæmeroniale hoc in lucem prodit , jussu Reverendissimi P. d'Avila vigilantissimi nostri Præsulis , cuius potissimum propositum est in reformatis moribus , atque Ecclesiasticis ritibus ad debitam formam instaurandis . Opus sanè cuncta prorsus complectens , quæ ad universas functiones tum Religionis proprias , tum ceteris communes , desiderati noscuntur ; cuius methodus adeo facilis , & clara est , ut neque declaratione , neque confirmatione egeat . Nonnulla tamen , quæ necessario premittenda sunt , breviter parte prima exponemus .

Advertant autem omnes Lectores , quod , quia nihil , non Romanæ Ecclesiæ ritui conforme , in hoc opere insertum est , tale evasit , ut (paucis , quæ ad Ordinem specialiter attinent , exceptis) omnibus , ejusdem Rom. Ecclesiæ ritibus utentibus , commodè valeat infervire .

